

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

COMMUNICATIONES

VOL. XXXIV - N. 2

2002

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 2

Semestrale

DECEMBRI 2002

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Lex de gubernatione Civitatis Vaticanae (16.VII.2002)	151
Allocutio ad quosdam Brasiliae Episcopos Limina Apostolorum visitantes (21.IX.2002)	167
Ex Allocutione ad quosdam Brasiliae Presules Limina Apostolorum visitantes (26.X.2002)	173
Ex Allocutione ad quosdam Brasiliae Episcopos Sacra Limina visitantes (16.XI.2002)	176

EX ACTIS CONSILII

QUAESTIONES QUAEDAM STUDIO PONTIFICII CONSILII SUBMISSAE	178
--	-----

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

CONGREGATIO PRO CLERICIS	180
<i>Ex Instructione de presbytero pastore et duce communitatis paroeciae</i>	180
CONGREGATIO DE INSTITUTIONE CATHOLICA	196
<i>Decretum quo ordo studiorum in Facultatibus Iuris Canonici innovatur</i>	196

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio XV)	201
Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio XVI)	230
Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio XVII)	263
NOTITIAE	281
OPERA A CONSILII BIBLIOTHECA RECEPTA	283
INDEX GENERALIS	287

Ex Actis Pont. Comm. CIC Recognoscendo

COETUS STUDIORUM « DE MATRIMONIO »

Sessio XV^a

(dd. 22-27 maii 1972 habita)

Diebus 22-27 maii 1972, in Aula sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut membra Coetus studiorum ad recognoscendas normas CIC de Matrimonio.

Interfuerunt Exc.mi Casoria, Lourdusamy et Bank; Ill.mi ac Rev.mi Damizia, Quinn, Chen, Garcia Barberena, de Clercq, Cremin, Che et Flatten; Rev.mi P.P. Huizing et Leclerc; et Cl.mus Giacchi.

Praesentes quoque erant Rev.mus P. Bidagor, Secretarius Generalis Commissionis et Rev.mus Voto, a studiis eiusdem Commissionis.

Octavae adunationi praefuit Em.mus Cardinalis Pericles Felici, Praeses Commissionis ; ceteris adunationibus praefuit Rev.mus Secretarius.

Rev.dus P. Huizing functus est munere Relatoris et Rev.mus Voto munere actuarii.

In praesenti Sessione recogniti sunt canones 1118-1127.

Sequentes Consultores votum de his quaestionibus paraverunt: Exc.mus Schneider et Rev.mi Fagiolo, Matulaitis, Quinn, Chen, Barberena, de Clercq, Cremin, Che et Leclerc.

Rev.mus Relator supra vota Consultorum Relationem apparavit.

Adunatio I^a die 22 maii 1972 – mane habita

Rev.mus Secretarius salutem dicit omnibus Consultoribus et petit utrum ipsis placeat Relatio laborum Sessionis praecedentis, dd. 13-18 decembris 1971 habitaæ, necne.

Rev.mus primus Consultor dicit se non accessisse ad « sententiam Rev.mi undecimi Consultoris », prout refertur in pag. 30 (*Communicationes*, Vol. XXXIV, p. 139).

Rev.mus tertius Consultor indicat aliqua menda transcriptionis in pp. 14 et 37 (*Communicationes*, Vol. XXXIV, pp. 127 et 143-144).

His positis, Relatio omnibus placet.

Deinde Rev.mus Relator refert aliquos Consultores petuisse ut denuo consideraretur formula can. 1118, quae approbata fuit in Sessione praecedenti, scilicet:

« Matrimonium validum ratum et consummatum nulla humana potestate nullaque causa, praeterquam morte, dissovi potest ».

Quidam votum fecerunt ut supprimeretur verbum « validum ».

Quaerit Rev.mus Relator quid censeant Consultores de hac propositione.

Rev.mus quartus Consultor: ratio sustinendi verbum « validum » est quia nota indissolubilitatis asseri tantum de matrimonio baptizatorum *certe valido* (et consummato). Sunt enim aliqui auctores qui censeant in dubio positivo de validitate matrimonii Summum Pontificem posse illud dissolvere.

Rev.mus secundus Consultor (contra Rev.mum quartum Consultorem): sed dubium de validitate matrimonii haberi potest sive supprimatur sive retineatur verbum « validum ».

Alii Consultores censem quod, posito canone 1015 (matrimonium baptizatorum validum dicitur ratum), verbum « validum » supprimi potest in can. 1118.

Suffragatur utrum placeat supprimere verbum « validum » necne:

Placet 11; non placet 3.

Canon 1119

« *Matrimonium non consummatum inter baptizatos vel inter partem baptizatam et partem non baptizatam a Romano Pontifice dissolvi potest iusta ex causa, etsi alterutra pars sit invita* ».

Etiam de hoc canone, iam approbato in Sessione praecedenti, proponitur a Rev.mo quinto Consultore ut corrigatur supprimendo ultima verba « etsi alterutra pars sit invita », quia, dicit ipse, de facto Summus Pontifex aliquando pronuntiavit dissolutionem matrimonii rati, etiam renuentibus partibus, propter bonum animarum.

Suffragatur utrum placeat propositio Rev.mi quinti Consultoris necne:

Placet 2; non placet 10; placet iuxta modum 1.

Modus:

Can. 1119 disperiatur in duos canones, quorum alter det normam de

matrimonio non consummato inter baptizatos; alter de matrimonio inter partem baptizatam et partem non baptizatam:

Placet 4; non placet 8, abstinet a sententia ferenda 1.

Canon 1120

De hoc canone iam plures discussiones factae sunt in Sessione pree-
denti; quare ab actuario leguntur processus verbales illius discussionis.

Rev.mus Relator proponit hanc novam formulam can. 1120, § 1:

« Matrimonium (legitimum) initum a duobus non baptizatis solvitur
baptismate et novo matrimonio alterutrius partis in favorem huius fidei ex
privilegio paulino, dummodo altera pars maneat non baptizata et discedat,
ad normam canonum 1120, § 2 – 1124 et 1126-1127 ».

Circa hanc formulam sequentes animadversiones habentur:

a) *de verbo « legitimum »*

Rev.mus Relator: forsan verbum « legitimum » addi potest, quia, si
matrimonium est dubie legitimum solvitur vi can. 1127.

Ill.mus sextus Consultor censet verbum « legitimum » opportune reti-
neri posse.

Exc.mus septimus Consultor proponit ut dicatur « *valide* initum » loco
« legitimum ».

Rev.mus quartus Consultor: ne dicatur neque « *valide* » neque « legit-
imum » ad vitandas discussiones quorundam auctorum qui sustinent notio-
nem et iudicium de validitate repetenda esse ex contextu indolis et culturae
singulorum populorum.

Rev.mi octavus et nonus Consultores censent verbum « legitimum » esse
superfluum et ideo supprimendum.

Rev.mus tertius Consultor proponit suppressionem verbi « legitimum »
ex analogia cum can. 1118, ubi suppressum est verbum « validum ».

Suffragatur placeatne supprimere verbum « legitimum »:

Placet 12; non placet 1.

b) *de verbis « solvitur baptismate et novo matrimonio alterutrius partis in favo-
rem huius fidei »*

Suffragatur utrum placeant haec verba necne:

Placet 2; non placet 3; placet iuxta modum 8.

Modi:

(1) dicatur «partis baptizatae» loco «huius» (Exc.mus septimus Consultor):

Placet 4; non placet 8; abstinet a sententia ferenda 1.

(2) supprimatur verbum «huius» (Exc.mus decimus Consultor):

Placet 8; non placet 3; abstinent a sententia ferenda 2.

(3) totum comma ita mutetur: «solvitur ex privilegio paulino in favorem fidei partis quae baptismum recepit celebrationē novi matrimonii, dummodo...» (Rev.mus quartus Consultor):

Placet 8; non placet 4; abstinet a sententia ferenda 1.

(4) dicatur: «solvitur in favorem fidei ex privilegio paulino, si nempe una pars baptizata fuerit et novas nuptias pars valide inierit» (Rev.mus tertius Consultor):

Placet 2; non placet 10; abstinet a sententia ferenda 1.

(5) modus Rev.mi quarti Consultoris ita compleatur: «...celebratione eiusdem partis novi matrimonii»:

Placet 9; non placet 1; abstinent a sententia ferenda 3.

c) *de verbis «ex privilegio paulino»*

Rev.mus quartus Consultor censet haec verba non esse necessaria, quia sufficit dicere «in favorem fidei».

Rev.mus nonus Consultor: verba «ex privilegio paulino» omitti debent, quia in canone plura determinantur quae in textu S. Pauli non habentur, et ideo, si verba illa retinuerentur, haberetur discrepantia inter ea quae requiruntur a S. Paulo et ea quae requiruntur a Codice.

Rev.mus Secretarius, Exc.mi undecimus et septimus Consultores et Rev.mi octavus et primus Consultores malunt ut illa verba retineantur, quia indicant fundamentum apostolicum huius instituti, quod ab Ecclesia semper applicatum est.

Suffragatur utrum placeat retinere illa verba necne:

Placet 8; non placet 3; abstinet a sententia ferenda 1.

Adunatio II^a
die 23 maii 1972 – mane habita

III.mi Consultores prosequuntur discussionem de canone 1120.

d) *de verbis «dummodo altera pars maneat non baptizata et discedat»*

Rev.mus primus Consultor: dicatur «baptismum recuset» vel «baptismum recusans discedat» loco «maneat non baptizata».

Rev.mus tertius Consultor: dicatur «dummodo altera pars non baptizetur».

III.mus sextus Consultor: haec conditio, quae fundatur in recusatione baptismi, non videtur congruens cum libertate religiosa; conditio fundari debet in impossibilitate cohabitationis sine contumelia Creatoris.

Rev.mus secundus Consultor: nihil dicatur de recusatione baptismi et comma ita redigatur: «dummodo pars non baptizata discedat».

Exc.mus decimus Consultor: forsitan hoc comma supprimi potest, quia inutilis est simplex mentio discessionis, quae postea explicari debet in canonicibus sequentibus; melius ergo esset dicere «...solvitur ad normam canorum...».

Exc.mus undecimus et Rev.mus primus Consultores volunt illa verba servare, quia in can. 1120 numerari debent omnes conditiones quae pertinent ad essentiam privilegii paulini, sive quod attinet ad partem quae baptizatur, sive quod attinet ad partem quae non baptizatur.

Suffragatur utrum placeat delere illa verba necne:

Placet 4; non placet 7; abstinet a sententia ferenda 1.

Suffragatur utrum placeat sustinere illa verba necne:

Placet 5; non placet 2; placet iuxta modum 3; abstinent a sententia ferenda 2.

Modi:

(1) dicatur: «dummodo altera pars baptizari recuset et discedat» (Exc.mus decimus Consultor):

Placet 2; non placet 9; abstinet a sententia ferenda 1.

(2) dicatur: «dummodo altera pars non baptizata maneat et discedat» (Exc.mus decimus Consultor):

Placet 5; non placet 7; abstinet a sententia ferenda 1.

(3) dicatur: «dummodo altera pars non discedat ad normam cann. 1120, § 2, 1124 et 1126-1127» (Rev.mus octavus Consultor):

Placet 4; non placet 8.

(4) dicatur: «dummodo altera pars non baptizata discedat» (Rev.mus secundus Consultor):

Placet 11; abstinet a sententia ferenda 1.

Omnibus suffragationibus factis, textus can. 1120, § 1 his verbis constat:

«Matrimonium, initum a duobus non baptizatis, solvitur ex privilegio paulino in favorem fidei partis, quae baptismus recepit, celebratione eiusdem partis novi matrimonii, dummodo altera pars non baptizata discedat, ad normam cann. 1120, § 2 – 1124 et 1126-1127».

Canon 1120, § 2

Rev.mus Relator censem formulam § 2, quae habetur in CIC, esse supprimendam, quia respicit casum qui non pertinet ad privilegium paulinum nuper in § 1 descriptum. Etenim casus iste nunc temporis solutionem obtinet ex dispensatione Summi Pontificis in favorem fidei.

Ipse Rev.mus Relator autem proponit novam § 2, his verbis redactam:

«Discedere censem altera pars si in pacifica cohabitatione perseverare nolit aut nequeat, nisi compars post baptismum receptum gravi ex culpa iustum ipsi dederit discedendi causam».

Consultoribus placet propositio Rev.mi Relatoris describendi in § 2 notionem discessionis. Circa formulam autem plures Consultores petunt a Rev.mo Relatore explicationem verbi «perseverare *nequeat*», per quod indicatur casus qui non pendet a voluntate alterius partis.

Rev.mus Relator respondet nostris temporibus saepe applicatum fuisse privilegium paulinum etiam in casibus in quibus coabitatio non pacifica non pendet a mala voluntate partis, sed a conditionibus obiectivis (ex. gr. ob leges civiles vel ob intolerantiam hominum, etc.).

Plures Consultores censem in istis casibus improprie applicatum fuisse privilegium paulinum et potius applicari debuisse privilegium sic dictum petrinum (Exc.mi septimus et undecimus Consultores et Rev.mi octavus et primus Consultores).

Praeterea aliqui Consultores petunt ut clare dicatur hic agi de cohabitatione pacifica *sine contumelia Creatoris*.

Suffragatur utrum placeat primam partem § 2 ita redigere necne:

«Discedere censetur altera pars si in pacifica cohabitatione sine contumelia Creatoris perseverare nolit».

Placet 10; placet iuxta modum 2.

Modi:

(1) dicatur «sine contumelia Creatoris *cum parte baptizata* perseverare nolit» (Exc.mus undecimus Consultor):

Placet 6; non placet 5; abstinet a sententia ferenda 1.

(2) dicatur «... si nolit pacifice cohabitare cum parte baptizata sine contumelia Creatoris» (Rev.mus secundus Consultor):

Placet omnibus.

Quoad aliam partem § 2 proponit Exc.mus undecimus Consultor ut supprimantur verba «gravi ex culpa».

Suffragatur utrum placeat alteram partem § 2 (oppure come sopra) ita redigere necne:

«nisi compars post baptismum receptum iustum ipsi dederit discedendi causam».

Placet 9; placet iuxta modum 3.

Modi:

(1) dicatur «parti non baptizatae» loco «ipsi» (Exc.mus septimus Consultor):

Placet 11; non placet 1.

(2) dicatur «... parti non baptizatae *gravem* dederit discedendi causam» (Rev.mus octavus Consultor):

Placet 3; non placet 9.

(3) dicatur «... nisi haec, post baptismum receptum, iustum illi dederit discedendi causam» (Rev.mus secundus Consultor):

Placet 11; placet iuxta modum 1.

Adunatio III^a
die 23 maii 1972 - vespere habita

Canon 1121

Rev.mus Relator proponit novam formulam canonis 1121 his verbis:

«§ 1. – Ut pars baptizata novum matrimonium valide contrahere valeat, requiritur ut altera pars nolit baptismum suscipere neque pacifice cohabitare sine contumelia Creatoris.

«§ 2. – Ut pars baptizata novum matrimonium licite contrahere valeat, debet partem non baptizatam interpellare:

1º an velit et ipsa baptismum suscipere;

2º an velit secum pacifice cohabitare sine contumelia Creatoris; salvo praescripto § 3.

«§ 3. Gravi de causa Ordinarius loci permittere potest ut interpellatio fiat ante baptismum receptum; necnon ab interpellatione dispensare, sive ante sive post “baptismum receptum, dummodo constet eam esse impossibilem aut inutilem”.

a) *Circa § 1:*

Rev.mus Relator animadvertisit quod finis huius normae est ut validitas novi matrimonii dependeat a facto ipso recusationis baptismi vel pacifice cohabitationis, iuxta sententiam plurium canonistarum.

Rev.mus primus Consultor laudat propositum Rev.mi Relatoris ut distinguantur inter ea quae requiruntur ad validitatem et ea quae requiruntur ad licitatem, ut pars baptizata novum matrimonium contrahere valeat. At, dicit ipse, modus huius distinctionis, prout proponitur in hac formula can. 1121, non est aptus, quia ea quae requiruntur ad validitatem iam recensita sunt in can. 1120. Iamvero non est opportunum eandem normam bis repetere, et ideo nova § 1 can. 1121 supprimi debet.

Exc.mus undecimus Consultor et Rev.mus quartus Consultor concordant cum Rev.mo primo Consultore.

Exc.mus septimus Consultor: quae dixit Rev.mus primus Consultor vera sunt, attamen oporteret certum esse illud «*dummodo*» canonis 1120 explicatum iri tamquam conditionem ad validitatem.

Rev.mi Secretarius, Relator et quartus Consultor: absque dubio illa conditio censebitur essentialis pro, validitate matrimonii, quia talis est vis particulae «*dummodo*», iuxta canonem 39.

Rev.mus octavus Consultor: § 1 can. 1121 non est simplex repetitio conditionis quae habetur in can. 1120, quia can. 1120 habet potius indolem definitionis privilegii paulini, dum in canone 1121 habetur expressa numeratio conditionum, quae requiruntur, sive ad validitatem, sive ad licetatem novi matrimonii partis baptizatae; ideo § 1 retineri potest.

Suffragatur utrum placeat retinere nova § 1 necne:

Placet 2; non placet 8; placet iuxta modum 2.

b) *Circa § 2:*

Rev.mus quartus Consultor: quaestio utrum interpellationes requirantur ad licetatem an ad validitatem est controversa. Fidelius est ergo si nihil dicatur in canone circa hanc rem, quare propono ut supprimatur verbum «licite», ita ut salva maneat praxis Curiae ut urgeantur interpellationes. Saepe enim interpellationes fieri debent non solum ad cognoscendam voluntatem discedendi, sed etiam ad perpendenda onera iustitiae quae oriuntur ex solutione veteris matrimonii.

Rev.mus duodecimus Consultor: de oneribus iustitiae, promanantibus ex solutione matrimonii, videt auctoritas civilis, ideo non est urgenda ex hoc capite necessitas interpellationum.

Exc.mi decimus et undecimus Consultores et Rev.mus octavus Consultor concordant cum Rev.mo quarto Consultore circa suppressionem verbi «licite».

Rev.mus primus Consultor: silentium non est bona solutio; dicatur clare utrum interpellationes requirantur ad validitatem an ad licetatem: iuxta meam sententiam requiruntur ad licetatem tantum.

Exc.mus septimus Consultor et Rev.mus nonus Consultor censem interpellationes requiri ad validitatem, quia secus, addit Exc.mus septimus Consultor, quomodo constabit de discessione? lamvero discessio requiritur ad validitatem novi matrimonii.

Rev.mus Relator: nemo dubitat quod discessio requiratur ad validitatem novi matrimonii, quod quidem celebrari non potest nisi constet de discessione. Sed quaestio nostra est an discessus *tantum* per interpellationes constare possit necne. Certo certius etiam per alia media constare potest de discessione et ideo non repugnat quod interpellationes imponantur ad licetatem tantum.

Suffragatur utrum placeat necne retinere verbum «licite» prout in formula Rev.mi Relatoris:

Placet 4; non placet 8.

Suffragatur utrum placeat delere verbum « licite » necne:
Placet 7; non placet 5.

Quod attinet ad redactionem formulae § 2, sequentes emendationes proponuntur:

Rev.mus primus Consultor: dicatur « ... debet pars non baptizata interpellari » loco « debet partem non baptizatam interpellare » (omnibus placet).

Rev.mus octavus Consultor: in n. 2 addatur verbum « saltem » (« ... an velit *saltem* secum, etc... ») (omnibus placet).

Exc.mus decimus Consultor: n. 2 ita redigatur: « An saltem velit cum parte baptizata pacifice cohabitare, sine contumelia Creatoris » (omnibus placet).

His dictis, suffragatur tota § ita redacta:

« Salvo praescripto § 2, ut pars baptizata novum matrimonium contrahere valeat, debet pars non baptizata interpellari:

1° an velit et ipsa baptismum recipere;

2° an saltem velit cum parte baptizata pacifice, « cohabitare, sine contumelia Creatoris ».

Formula omnibus placet.

c) *Circa § 3:*

Rev.mus Relator animadvertisit illam sumpisse ex M.p. *Pastorale Munus*, n. 23, attenta interpretatione diei 28 novembris 1964, *AAS*, 57 (1965), pag. 187, ubi haec facultas conceditur:

« Permittendi ut, accidente gravi causa, interpellatio coniugis infidelis ante baptismum partis quae ad fidem convertitur fieri possit; necnon, gravi pariter de causa, ab interpellatione, sive ante sive post baptismum partis quae convertitur, dispensandi; dummodo hoc in casu ex processu saltem summario et extrajudiciali constet interpellationem fieri non posse, vel fore inutilem ».

Rev.mus Relator animadvertisit in hac formula § 3 se omisisse mentionem processus summarii et extrajudicialis, quae habetur in textu M.p. *Pastorale Munus*, quia in Codice deficit notio processus summarii.

Rev.mus Secretarius refert de laboribus Coetus nostri « *De processibus* », qui schema canonum apparavit de processu summario.

Rev.mus quartus et octavus Consultores petunt ut in formula Rev.mi

Relatoris referantur ultima quoque verba desumpta ex M.p. *Pastorale Munus*, scilicet: «... dummodo hoc in casu ex processu saltem summario et extrajudiciali constet interpellationem fieri non posse, vel fore inutilem».

Exc.mus septimus Consultor proponit ut § 3 ita evolvatur:

«*Interpellationes semper fieri debent* et nonnisi “gravi de causa Ordinarius loci permittere potest etc...”.

Hoc modo, dicit Exc.mus septimus Consultor, habetur mentio potestatis Sanctae Sedis dispensandi ab interpellationibus.

Adunatio IV^a
die 24 maii 1972 – mane habita

Rev.mus Relator proponit hunc textum novae paragraphi de interpellationibus:

«§ 2. – Hae interpellationes fieri semper debent; at Ordinarius loci, gravi de causa, permittere potest ut interpellationes fiant ante baptismum receptum; idem, gravi pariter de causa, ab interpellationibus dispensare potest, sive ante sive post baptismum receptum, dummodo ex processu saltem summario et extrajudiciali constet eas fieri non posse aut fore inutiles».

Exc.mus decimus Consultor et Rev.mus secundus Consultor: priora verba («hae interpellationes fieri semper debent») supprimi possunt, quia iam in § 1 statuitur obligatio interpellandi partem non baptizatam.

Exc.mi septimus et undecimus Consultores: illa priora verba retineri possunt quia sumunt peculiarem vim ex verbo «semper».

Rev.mi quartus, octavus et primus Consultores: illa verba supprimi possunt, attamen verbum «semper» transferri potest in § 1 hoc modo: «Salvo praescripto § 2, ut pars baptizata novum matrimonium contrahere valeat, pars non baptizata *semper* interpellari debet, etc.».

Suffragatur utrum placeat haec novissima propositio necne:

Placet 10; non placet 2; abstinet a sententia ferenda 1.

Exc.mus decimus Consultor proponit ut formula § 2 ita initio mutetur:

«§ 2. – Haec interpellatio post baptismum fieri debet; at Ordinarius loci, gravi de causa, permittere potest etc...».

Suffragatur utrum placeat propositio Exc.mi decimi Consultoris necne:

Placet 11; placet iuxta modum 1; abstinet a sententia ferenda 1.

Modus:

Dicatur «Haec interpellatio *regulariter* fiat post baptismum, etc.»
(Exc.mus undecimus Consultor):

Placet 2; non placet 11.

Deinde suffragationi proponitur utrum placeat aliud comma necne, id est:
«at Ordinarius loci gravi de causa permettere potest ut interpellatio ante
baptismum fiat»:

Placet 9; placet iuxta modum 4.

Modi:

(1) dicatur: «... ante baptismum *coniugis infidelis*»:

Placet 1, non placet 10, abstinent a sententia ferenda 2.

(2) omittatur verbum «*interpellatio*»:

Placet 5; non placet 8.

Tandem fit suffragatio de ultimo commate, scilicet: «idem, gravi pariter de causa, ab interpellatione dispensare potest, sive ante sive post baptismum receptionum, dummodo, etc...».

Placet 11; placet iuxta modum 2.

Modus:

Deleatur verbum «*receptum*»:

Placet 9; non placet 3; abstinet a sententia ferenda 1.

Canon 1122.

Rev.mus Relator proponit hanc novam redactionem canonis 1122:

«§ 1. – Interpellatio regulariter fiat de auctoritate Ordinarii partis baptizatae.

§ 2. – Si praescriptum § 1 servari nequeat, interpellatio facta ab ipsa parte
baptizata est licita; in foro autem externo legitime de ipsa constare debet.

§ 3. – Parti non baptizatae rationabiles concedendae sunt induciae ad
deliberandum et respondendum, monita tamen eadem respcionem,
induciis inutiliter praeterlipsis, “censi negativam”.

In hac formula, secus ac in canone 1122 CIC, de induciis concedendis sermo est in § 3, quia, dicit Rev.mus Relator; induciae concedendae sunt non tantum si interpellatio fit de auctoritate Ordinarii (§ 1), sed etiam si fit ab ipsa parte baptizata (§ 2).

Rev.mi Secretarius et octavus Consultor concordant cum Rev.mo Relatore circa opportunitatem concedendi inducias etiam quando interpellatio fit ab ipsa Parte baptizata.

Rev.mus quartus Consultor: quando interpellatio fit ab ipsa parte baptizata, concessio induciarum ad nihil inservit nisi ad terendum tempus.

Rev.mus quintus Consultor duas animadversiones facit circa formulam Rev.mi Relatoris:

– in § 1 dici debet «partis conversae» loco «partis baptizatae», secus haec norma non tenet quando interpellatio, vi canonis 1121, § 2, fit ante baptismum;

– in § 1 retineri debent verba CIC, quibus statuitur ut interpellatio fiat «forma saltem summaria et extrajudiciali», eo vel magis quod, in canone praecedenti (1121, § 2), in casu dispensationis ab interpellatione, impositus est processus summarius ex quo constet interpellationem fieri non posse aut fore inutilem.

Exc.mus septimus Consultor: in can. 1121, § 2 adest proportionata causa exigendi processum summarium, quia constare debet quibus de causis ab interpellatione dispensatum sit. In praesenti canone autem sufficit ut interpellatio fiat, quaecumque sit forma huius interpellationis.

Rev.mi octavus et nonus Consultores: non est necesse ut imponatur modus interpellationis «forma summaria et extrajudiciali», tamen exigi debet ut interpellatio ita fiat ut de ipsa aliquo modo constare possit in foro externo.

Adunatio V^a
die 24 maii 1972 – vespere habita

Exc.mus decimus Consultor proponit duas formulas alternativas canonis 1122:

§ 1. – Interpellatio fiat regulariter de auctoritate Ordinarii partis conversae, a quo Ordinario concedendae sunt alteri quoque coniugi, siquidem eas petierit, induciae ad deliberandum, eo tamen monito fore ut, induciis inutiliter praeterlapsis, eius silentium pro responsione negativa habeatur.

§ 2. – Si forma superius praescripta servari nequeat, interpellatio facta ab ipsa parte conversa est licita, dummodo de ipsa in foro externo legitime constet.

vel:

§ 1. – Interpellatio fiat regulariter de auctoritate Ordinarii partis conversae; quod si servari nequeat, interpellatio facta ab ipsa parte conversa est licita; in utro que casu de ipsa legitime constare debet in foro externo.

§ 2. – Curet Ordinarius partis conversae ut parti non baptizatae concedantur rationabiles induciae ad deliberandum, ea tamen monita fore ut, induciis inutiliter praeterlapsis, eius silentium pro responsione negativa habeatur.

Rev.mus secundus Consultor animadversionem praejudiciale habet circa interpellationes etiam privatim factas a parte conversa. Hae interpellationes sunt validae et Ordinarius pro validis illas habere potest independenter ab interpellationibus ex sua auctoritate forte faciendis. Id non apparet ex formulis propositis a Exc.mo decimo Consultore.

Rev.mi quartus et primus Consultores concordant cum Rev.mo secundo Consultore.

Rev.mus primus Consultor praefert aliam formulam Exc.mi decimi Consultoris ut basim discussionis, quia in ipsa statuitur ut de facta interpellatione legitime constet in foro externo, sive facta sit de auctoritate Ordinarii, sive facta sit privatim a parte conversa.

Exc.mus undecimus Consultor proponit ut in foro externo constare debeat non solum de interpellatione facta sed etiam de eiusdem exitu.

Exc.mus decimus Consultor, his animadversionibus consideratis, proponit ut fiat suffragatio circa hanc formulam canonis 1122:

«§ 1. – Interpellatio fiat regulariter de auctoritate Ordinarii partis conversae, a quo Ordinario concedendae sunt alteri quoque coniugi etc. (ut supra).

§ 2. – Interpellatio etiam privatim facta ab ipsa parte conversa valet, imo est licita, si forma superius praescripta servari nequeat.

§ 3. – In utroque casu de interpellatione facta deque eiusdem exitu in foro externo legitime constare debet».

Suffragatur utrum placeat § 1 necne:

Placet 8; placet iuxta modum 3.

Modi:

(1) dicatur «...ad respondendum» loco «ad deliberandum»:

Placet 8; non placet 3.

(2) supprimatur verbum «quoque»:

Placet omnibus.

(3) dicatur «... ipse negativam responsonem dedit censeatur» loco
«eius silentium pro responsione negativa habeatur»:

Placet 3; non placet 6; abstinent a sententia ferenda 2.

Suffragatur utrum placeat § 2 necne:

Omnibus placet.

Suffragatur utrum placeat § 3 necne:

Placet 8; non placet 2; placet iuxta modum 1.

Modus:

Supprimantur verba «in utroque casu» (Rev.mus tertius Consultor):

Placet 3; non placet 8.

Adunatio VI^a
die 25 maii 1972 – mane habita

Canon 1123

Rev.mus Relator proponit hanc novam formulam canonis 1123:

«Pars baptizata ius habet novas nuptias contrahendi:

1° si altera pars negative interpellationi responderit;

2° si ipsa, prius perseverans in pacifica cohabitatione, postea discesserit;

3° si interpellatio legitime omissa fuerit».

Mens Rev.mi Relatoris est ut in hoc canone absorbeatur materia canonum 1123 et 1124 CIC

Circa hanc formulam sequentes animadversiones habentur:

1) *Utrum pars baptizata ius habeat novas nuptias contrahendi tantum cum persona catholica necne.*

Rev.mus Relator omisit verba «cum persona catholica» (quae habebantur in canone 1123 CIC) quia impedimenta mixtae religionis et disparitatis cultus per se valent etiam in casu privilegii paulini, quare praevideatur novus canon (cf. canonem novum 1124 – ut infra) de facultate Ordinarii dispensandi ab istis impedimentis.

Rev.mus octavus Consultor: verba «cum persona catholica» retineri debent, quia qui utitur privilegio paulino inire non potest novas nuptias cum parte acatholica, siquidem finis privilegii est pacifica conviventia, quae apte obtineri non posset cum parte acatholica.

Exc.mus undecimus Consultor et Rev.mus duodecimus Consultor negant sententiam Rev.mi octavi Consultoris, quia etiam acatholici sunt christiani et ideo haec limitatio esset indebita.

Rev.mus primus Consultor censem ex textu n. 20 M.p. *Pastorale Munus* deduci posse illa verba «cum parte catholica» suppressa esse.

Rev.mus quartus Consultor censem illa verba omitti posse, quia ex hac omissione nullum periculum timeri potest.

2) *Utrum requirantur necne interpellationes quando altera pars, prius perseverans in pacifica cohabitatione, postea discesserit.*

Rev.mus secundus Consultor: ex textu canonis, prout proposito a Rev.mo Relatore, non appetit interpellationes esse necessarias.

Exc.mus decimus Consultor: interpellationes semper fieri debent; proponitur ut n. 2 fiat n. 3 et in fine compleatur his verbis: «salvo praescripto cann. 1121-1122».

Exc.mus undecimus Consultor: interpellationes semel fieri debent et norma generalis est ut fiant post baptismum; nunc vero si adduntur verba «salvo praescripto cann. 1121-1122», datur obligatio iterandi interpellationes.

Rev.mus secundus Consultor: de facto saepe interpellationes non flunt post baptismum receptum, quia coniuges in genere pergunt cohabitare et saepe saepius pars baptizata neque scit de privilegio paulino. Postea, procedente tempore, coabitatio fit impossibilis sine contumelia Creatoris et tunc, si pars utitur privilegio paulino, interpellationes fieri debent. Ceterum non repugnat quominus interpellationes denuo fiant.

His animadversionibus factis, Relator proponit ut suffragetur utrum placeat haec formula necne:

«Pars baptizata ius habet novas nuptias contrahendi:

1° si altera pars negative interpellationi “responderit”;

2° si interpellatio legitime omissa fuerit;

3° si pars non baptizata, sive iam interpellata sive non, prius perseverans in pacifica cohabitatione sine contumelia Creatoris, postea discesserit, servatis cann. 1121-1122».

Placet 8; placet iuxta modum 5.

Modi:

(1) omittantur verba «servatis canonibus 1121-1122» (Exc.mus decimus Consultor):

Placet 1, non placet 10, abstinent a sententia ferenda 2.

(2) dicatur «3° si pars non baptizata nondum fuerit interpellata, prius perseverans etc.» (Exc.mus undecimus Consultor):

Placet 3, non placet 9, abstinet a sententia ferenda 1.

(3) omittantur verba «sine contumelia Creatoris» (Rev.mus octavus Consultor):

Placet 3, non placet 10.

(4) omittantur verba «sive iam interpellata sive non» (Rev.mus tertius Consultor):

Placet 2, non placet 11.

(5) dicatur «... sine contumelia Creatoris, postea, *sine iusta causa*, discesserit, servatis...» (Rev.mus nonus Consultor):

Placet 6, non placet 6, abstinet a sententia ferenda 1.

Post approbationem huius novi can. 1123, suffragatur utrum placeat supprimere can. 1124 CIC necne:

Placet omnibus.

Canon 1124 (novus)

Rev.mus Relator, attenta facultate concessa Episcopis residentialibus in M.p. *Pastorale Munus*, n. 20, proponit ut in novum Codicem introducatur sequens canon:

« Ordinarius, gravi de causa, dispensare potest ab impedimentis mixtae religionis et disparitatis cultus etiam in casu privilegii paulini ».

Cum aliqui Consultores censeant locum aptum huius canonis esse in parte de impedimentis matrimonialibus, fit suffragatio utrum placeat introducere in hunc locum canonem novum a Rev.mo Relatore propositum necne:

Placet 8; non placet 5.

Rev.mus primus Consultor in mentem revocat novos canones 1061 et 1071, in quibus datur facultas Ordinariis, sub datis conditionibus, dispensandi ab impedimentis mixtae religionis et disparitatis cultus. Positis illis canonibus, dicit Rev.mus primus Consultor, hic nihil aliud fieri debet nisi illam facultatem etiam ad casus privilegii paulini extendere. Canon ita redigi potest:

« Etiam in casu usus privilegii paulini Ordinarius loci facultate dispensandi super impedimentis mixtae religionis et disparitatis cultus uti potest ».

Rev.mus Secretarius: adest aliqua differentia inter facultatem de qua in can. 1061 (novo) et n. 20 M.p. *Pastorale Munus*, quia in can. 1061 requiritur *iusta* causa, dum in M.p. requiritur *iusta et gravis causa*, Consultores ergo decernere debent utrum in hoc canone 1124 (qui resumit n. 20 M.p. *Pastorale Munus*) fieri debeat necne mentio de gravi causa.

Exc.mus undecimus Consultor et Rev.mus quintus Consultor: retineatur in can. 1124 eadem conditio M.p., scilicet: « urgente iusta et gravi causa ».

Ill.mi octavus et sextus Consultores: non adest ratio sufficiens imponiendi duriorem conditionem in can. 1124 quam in can. 1061.

Suffragatur utrum placeat in can. 1124 mentionem facere de « causa » necne:

Placet 7; non placet 3; placet iuxta modum 2.

Modus:

Dicatur « gravi de causa »:

Placet 8, non placet 3, abstinet a sententia ferenda 1.

Suffragatur utrum placeat formula Rev.mi primi Consultoris ita redacta necne:

« Etiam in casu usus privilegii paulini Ordinarius loci facultate dispensandi, gravi de causa, super impedimentis mixtae religionis et disparitatis cultus gaudet ».

Placet 7; non placet 1; placet iuxta modum 4.

Modi:

(1) addantur in fine canonis haec verba: « salvis praescriptis cann. 1061-1064 et 1071 »:

Placet 11, non placet 1.

(2) supprimatur verbum « etiam »:

Placet 3, non placet 7, abstinent a sententia ferenda 2.

(3) dicatur: « Etiam in casu usus privilegii paulini, Ordinarius loci, gravi tamen de causa, dispensare potest, etc. ».

Placet 8, non placet 3, abstinet a sententia ferenda 1.

(4) addatur clausula M.p. *De Episcoporum muneribus*, IX, 16, scilicet: « quotiescumque servari nequeunt condiciones requisitae in n. 1 Instructionis *Matrimonii Sacramentum* etc. ».

Aliqui Consultores notant quod Instructio *Matrimonii Sacramentum* suppressa est per M.p. *Matrimonia mixta*.

Suffragatur modus:

Placet 2, non placet 8, abstinent a sententia ferenda 2.

Adunatio VII^a
die 25 maii 1972 – vespera habita

Canon 1125

Rev.mus Relator, attento etiam voto quorundam Consultorum, vult seligere normas Constitutionum, de quibus in can. 1125 CIC, et eas fuse in canonem novum transferre.

Formula proposita a Rev.mo Relatore sic sonat:

«Baptizatus qui, ante baptismum susceptum, in polygamia simultanea vel successiva cum non baptizatis vixerit, potest matrimonium contrahere:

- 1º cum parte quae et ipsa baptizatur;
- 2º cum una ex illis, dummodo constet validum existere matrimonium cum alia, salvo can. 1120».

Rev.mus Secretarius legit Constitutiones Pauli III *Altitudo* et S. Pii V *Romani Pontifices* et deinde petit a Consultoribus quid censeant circa propositionem Rev.mi Relatoris.

Exc.mus undecimus Consultor: Constitutiones, de quibus in can. 1125, continent ius speciale, non ius generale et Codificatores anni 1917 non voluerunt illud ius mutare: hoc factum nos admonet ut bene perpendamus utrum sit possibile et opportunum necne novum canonem redigere iuxta propositionem Rev.mi Relatoris.

Rev.mus octavus Consultor: Codificatores anni 1917 forsitan praesumebant casus polygamiae esse minus frequentes et ideo censuerunt illos casus solutos iri per simplicem extensionem praedictarum Constitutionum ad illos casus, quin illae normae in canone novo generali rescriberentur. Etiam nos situationem de facto existentem respicere debemus: si polygamia in plures adhuc regiones grassetur, certe et nos illas normas retinere debemus; quod si polygamia per leges civiles iam suppressa sit, convenit forsitan can. 1125 penitus supprimere.

Exc.mus decimus Consultor, ill.mi secundus et sextus Consultores dicunt plures esse adhuc regiones Africae et Asiae in quibus habetur polygamia simultanea et Rev.mus duodecimus Consultor mentionem facit de polygamia successiva, quae ubique terrarum habetur. Hac de causa fere omnes Consultores volunt illas normas in novo Codice retinere.

Rev.mus octavus Consultor: in can. 1125 fiunt hypotheses territoriales, ita ut illae Constitutiones, quae «pro peculiaribus locis scripta sunt, ad alias quoque regiones in eisdem adjunctis extenduntur». Hoc modo lex, secun-

dum communem opinionem, respicit tantum regiones missionum.

In canone autem proposito a Rev.mo Relatore fiunt hypotheses personales, ita ut illa lex, si promulgabitur, applicari poterit etiam in regionibus Europae et Americae, quod nimis videtur.

Rev.mi duodecimus et primus Consultores: suggestio Rev.di octavi Consultoris valeret si in canone praeverideretur tantum casus polygamiae simultaneae. Quoniam autem praevideatur etiam casus polygamiae successivae, nihil mirum si illa lex applicabitur in regionibus quoque Europae et Americae.

Rev.mus quintus Consultor: concessiones collectivae, a Constitutionibus pontificiis in praeterito datae, semper valent et ad alias regiones extenduntur.

Suffragatur utrum can. 1125 debeat esse per se stans, sine referentia ad Constitutiones Apostolicas necne:

Placet 9; non placet 4.

Deinde Consultores manifestant suam sententiam circa substantiam novi canonis 1125:

Rev.mus primus Consultor: ex Constitutionibus Apostolicis extrahi debent omnia et sola elementa quae valent etiam nostris temporibus; hodie enim esset aliquantulum ridiculum ut quis non recordetur quaenam fuerit sua prima uxor et ideo suppressa est norma quae fundatur in tali hypothesi.

Rev.mus secundus Consultor: quid iuris si plures uxores simul baptizantur?

Rev.mus nonus Consultor: ex elementis illarum Constitutionum Apostolicarum construi debet novus canon generalior, qui scilicet non sit contractus in solo contextu privilegii paulini.

Rev.mus octavus Consultor: canon 1125, prout propositus a Rev.mo Relatore, est ambiguus ita ut quis, qui, postquam baptizatus fuit novum matrimonium contraxit, postea contrahere iterum posset cum una ex uxoriibus, quas habebat in polygamia, si et ipsa baptizetur.

Ad hanc ambiguitatem tollendam, formula ita corrigi deberet: «Baptizatus qui... in polygamia... vixerit, potest matrimonium contrahere: 1º cum parte quae *cum ipso* baptizatur...».

Rev.i.us Secretarius: si quis baptizatus novum matrimonium contrahit, non amplius considerabitur eius status polygami, quem habebat ante baptismum.

Exc.mus decimus Consultor: sensus Constitutionis Pii V, *Romani Pontificis*, non est ut novum aliquod matrimonium contrahatur, sed ut legitimum reddatur matrimonium cum una ex uxoribus quas quis habebat in polygamia.

Rev.mus secundus Consultor, difficultatibus Consultorum perpensis, censet canonem 1125 ita evolvi posse:

«Baptizatus, qui ante baptismum in polygamia simultanea vel successiva cum non baptizatis vixerit, ceteris dimissis:

1° valet remanere cum parte quae et ipsa baptizatur vel cum una ex baptizatis;

2° si nulla ex uxoribus baptizatur, retineat eam quam primo accepit et, si non recordatur quaenam sit prima cum qua contraxerit, contrahere potest cum una ex ipsis, salvo can. 1120».

Adunatio VIII^a
die 26 maii 1972 – mane habita

Huic conventui praest Em.mus Cardinalis Praeses Commissionis.

Consultor Rev.mus secundus Consultor proponit hanc formulam can. 1125:

«Qui ante conversionem, iuxta populi mores, plures habebat uxores, in recipiendo baptismo, aliis dimissis, eam sibi retineat uxorem, quam primo acceperit. Quod si non recordatur quam primo acceperit, matrimonium contrahat cum una ex illis. At ei integrum est, renovato consensu, permanere, aliis dimissis, cum ea uxore, quae fidem catholicam amplectitur».

Consultores, ad perpendenda elementa necessaria huius canonis, prae oculis etiam habent responsiones Pont. Commis. Interpret. Codicis circa canonem 1125, necnon n. 18 facultatum decennalium Ordinariis locorum in territoriis missionum tributarum.

Circa formulam canonis propositam a Rev.mo secundo Consultore, sequentes animadversiones habentur:

Exc.mus septimus Consultor: formula placet quoad substantiam, attamen redactio clarior erit si variae hypotheses per distinctos numeros disponantur.

Rev.mus quartus Consultor: ex hac formula deducitur quod sive qui vivebat in polygamia simultanea, sive qui vivebat in polygamia successiva, in recipiendo baptismo retinere debet uxorem quam *primo acceperit*, salvis

aliis hypothesibus, quae forte verificantur; iamvero, ex praxi Sanctae Sedis, constat quod numquam imponitur prima uxor in casibus polygamiae successivae.

Praeterea considerandum est quod in tribus Constitutionibus Pontificiis habetur aliqua evolutio, quae determinata fuit a rerum eventibus una simul cum cura servandi aequitatem erga alias uxores dimissas. Nostris autem temporibus lex civilis curat de iuribus patrimonialibus, quae oriuntur ex dimissione aliarum uxorum et ideo ex hoc capite nulla est ratio tueri iura primae uxoris p[ro]ae iuribus aliarum uxorum. Posset ergo omitti norma de retinenda uxore « quam primo acceperit ».

Ill.mus sextus Consultor: placet propositio Ill.mi quarti Consultoris, quia deest certitudo validitatis illius matrimonii cum prima uxore.

Exc.mus decimus Consultor proponit ut ultima pars canonis ita redigatur:

« At ei integrum est, sine ulla interpellatione primae uxoris, ex illis retinere quam maluerit; si et ipsa baptizata sit, renovato tamen matrimoniali consensu cum ea, aliis quidem dimissis ».

Rev.mus octavus Consultor: formula canonis substantialiter placet, praesertim quod attinet ad verba « iuxta mores populi », quae important aliquam delimitationem territorialem circa usum facultatis de qua in praesenti canone. Attamen oporteret canonem melius redigere ita ut respondeat modernis theoriis de « paritate sexuum ».

Circa peculiarem quaestionem num sit seligenda mulier « quam primo acceperit », aliquantis per inter Consultores disceptatum est, aliis tuentibus ius alicuius praelationis primae uxoris (Exc.mus septimus Consultor et Rev.mi octavus, tertius, secundus, primus et nonus Consultores), aliis autem tuentibus omnimodam libertatem circa hanc rem (Exc.mus undecimus Consultor, Rev.mi Secretarius et Relator et Ill.mi quartus, tertius decimus, quintus et sextus Consultores).

Em.mus Praeses animadvertisit hanc quaestionem implexam esse ex eo quod simul considerantur et polygamia simultanea et polygamia successiva. In casu polygamiae successivae clarius appetat ius primae uxoris; in casu vero polygamiae simultaneae tale ius non est clarum ex eo quod merito dubitari potest de validitate illorum matrimoniorum.

Rev.mus secundus Consultor addit quod in polygamia ius et honor primae uxoris non semper competunt ei quae primo ducta est, sed ei quae ex gr. plures filios habuit, vel multas dicitias habet, etc.

Adunatio IX^a
die 26 maii 1972 – vespera habita

Rev.mus quartus Consultor proponit hanc formulam can. 1125:

« § 1. – Infidelis qui plures uxores habuit, recepto baptismo, si durum sit ei cum earum prima permanere, potest sibi quamlibet ex illis eligere.

§ 2. – Ordinarius permittere potest, gravi de causa, infideli plures uxores habenti ut, post baptismum, sine ulla interpellatione primae uxoris, ex illis retineat quam maluerit, si et ipsa baptizata sit, renovato tamen matrimoniali consensu.

§ 3. – Ordinarius p[re] oculis habeat conditionem moralem, socialem, oeconomicam primae uxoris et curent etc... ».

Rev.mus quintus et nonus Consultores censem § 2 huius formulae esse superfluam quia casus ibi descriptus iam continetur in § 1, salva dispensatione ab interpellationibus.

Rev.mus quartus Consultor respondet casum § 2 non contineri in § 1, quia in § 2, praeter dispensationem ab interpellationibus, habentur alia elementa nova, scilicet conversio ipsius uxoris et renovatio consensus matrimonialis.

Rev.mus primus Consultor proponit hanc formulam:

« § 1. – Baptizatus qui ante baptismum susceptum in polygamia simultanea vel successiva cum non baptizatis vixerit:

1º ceteris dimissis, eam retineat quacum valido matrimonio ligatum esse constet, vel, si ista baptismum recipere nolit, ex iis aliis, quae baptizatur, renovato consensu, ducere potest.

2º Si quod matrimonium validum esse non constet, contrahere cum illa ex illis potest, quam maluerit ».

Deinde sequentes animadversiones habentur:

Rev.mus quartus Consultor: in Constitutionibus Pontificiis, quae pertinent ad hunc canonem, numquam sermo est de matrimonio *valido*, et merito, quia quaestio de validitate matrimonii, in polygamia simultanea contracti, difficillimam redderet applicationem huius canonis. In casu polygamiae successivae, primum matrimonium in genere est validum, sed, ex praxi Curiae, nunc non datur obligatio retinendi primam uxorem.

Rev.mus primus Consultor: in Constitutionibus Pontificiis sermo fit de matrimonio *valido* non explicite sed aequivalenter. Ratio enim specialis considerationis primae uxoris est quia illud matrimonium praesumebatur validum.

Rev.mi Secretarius et Relator: in novo canone proponi debet norma quae respondeat praxi hodiernae Ecclesiae in hac materia, quae praxis forsan latior est quam dictatus litteralis illarum Constitutionum Sanctae Sedis.

Rev.mus quartus Consultor: forsan solutio quaestionis facilior haberi potest, si in canone agatur tantum de casibus polygamiae simultaneae.

Rev.mus Secretarius laudat hanc propositionem Rev.mi quarti Consultoris et addit quod pro casibus polygamiae successivae recurri potest ad Sanctam Sedem.

Formula canonis ita redigi posset:

«§ 1. – Infidelis qui plures simul uxores habuerit recepto baptismo, si durum sit ei cum earum prima permanere, potest sibi quamlibet mulierem ex illis eligere, renovato matrimoniali consensu. Si istae conditions non verificantur recurrendum est ad Sedem Apostolicam in singulis casibus.

§ 2. – Ordinarii in singulis casibus p[re] oculis habeant conditionem moralem, socialem, oeconomicam primae uxor[is], etc...».

Rev.mi primus et quartus Consultores proponunt ut in § 1 addantur haec verba: «... renovato matrimoniali consensu et, *si opus, sit, obtenta dispensatione ab impedimento mixtae religionis et disparitatis cultus*».

Adunatio X^a
die 27 maii 1972 = mane habita

Rev.mus nonus Consultor formulam magis perpolitam proponit circa canonem 1125:

«§ 1. – Infidelis, qui plures uxores simul habuerit, ad fidem catholicam se convertens, si durum sit ei cum earum prima permanere, potest quamlibet ex illis, ceteris dimissis, retinere. Recepto autem baptismo, renovandus est consensus matrimonialis, obtenta etiam, si opus sit, dispensatione ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus, servatis aliis de iure servandis. Si istae conditions non verificantur, recurrendum est ad Sedem Apostolicam in singulis casibus.

§ 2. – Ordinarii p[re] oculis habeant conditionem moralem, socialem, oeconomicam primae uxor[is] et curent ut eiusdem necessitatibus satis provisum sit, iuxta normas iustitiae, christiana[rum] caritatis et naturalis aequitatis».

Suffragatur utrum placeat formula § 1 necne:

Placet 7; placet iuxta modum 5.

Modi:

(1) dicatur «...disparitatis cultus et aliorum impedimentorum...» (Exc.mus undecimus Consultor):

Placet 1; non placet 11.

(2) deleantur verba «ceteris dimissis» (Rev.mus quartus Consultor):

Placet 3; non placet 9.

(3) deleatur verba «si durum sit ei cum earum prima permanere» (Rev.mus octavus Consultor):

Placet 2; non placet 9; abstinet a sententia ferenda 1.

(4) dicatur «durissimum» loco «durum» (Rev.mus tertius Consultor):

Placet 1; non placet 10; abstinet a sententia ferenda 1.

Circa § 2 habetur aliqua discussio inter Consultores, aliis cernentibus ut prae oculis habeatur conditio primae tantum uxoris, aliis vero ut prae oculis habeatur conditio omnium uxorum dimissarum, aliis vero ut prae oculis habeatur conditio et *prima uxoris* (expresse) et aliarum dimissarum.

Rev.mus secundus Consultor proponit hanc formulam § 2, quae omnibus placet:

«Ordinarius, prae oculis habita conditione morali, sociali, oeconomica locorum et personarum, curet ut primae uxoris aliarumque dimissarum necessitatibus satis provisum sit, iuxta normas iustitiae, christianaee caritatis et naturalis aequitatis».

Canon 1126

Rev.mus Relator proponit hanc formulam:

«Vinculum prioris coniugii, a duobus non baptizatis contracti, tunc tantum solvitur, cum pars baptizata reaperte novas noptias valide initverit».

Rev.mi quartus et primus Consultores: can. 1126 supprimi potest, quia eius materia iam inclusa est in can. 1120.

Rev.mus Relator: canon 1120 respicit tantum casus privilegii paulini; can. 1126 autem respicit omnes casus, scilicet etiam casus sic dicti privilegii petrini et eorum qui plures simul uxores habuerunt.

Rev.mus quartus Consultor: can. 1126 non potest respicere casus eorum qui plures simul uxores habuerunt, quia implicite agnosceretur validitas illorum matrimoniorum.

Suffragatur utrum placeat supprimere can. 1126 necne:

Placet 9; abstinet a sententia ferenda 1.

Canon 1127

Rev.mus Relator proponit hanc formulam:

«In re dubia privilegium fidei, de quo in canonibus 1120-1125, gaudet favore iuris».

Haec formula eadem est ac in CIC, additis tamen verbis «de quo in cann. 1120-1125». Hanc additionem Rev.mus Relator proponit, quia solutio matrimonii in favorem fidei hodie extenditur ultra hos canones, ad casus scilicet sic dicti privilegii petrini, quin secum ferat eundem favorem iuris.

Rev.mus primus Consultor petit ut favor iuris extendatur ad omnes casus solutionis matrimonii in favorem fidei.

Rev.mi quartus et octavus Consultores concordant cum Rev.mo Relatore, eo vel magis quod in casibus sic dicti privilegii petrini dispensatio datur ab Apostolica Sede, quae, in singulis casibus, iudicare etiam poterit de favore iuris.

Rev.mus primus Consultor accedit ad sententiam Rev.morum quarti et octavi Consultorum, attamen petit ut additio Rev.mi Relatoris ita corrigatur: «de quo in cann. 1120-1124». Ratio est quia in can. 1125 fit obligatio recurrendi ad Sanctam Sedem quoties «istae conditiones non verificantur» iamvero in istis casibus non potest imponi Sanctae Sedi ut recognoscatur favorem iuris.

Rev.mus Secretarius, consideratis istis difficultatibus proponit ut suffragetur utrum placeat retinere can. 1127 prout est in CIC necne:

Propositio omnibus placet.

His dictis, Sessioni finis imponitur.

CANONES

Canon 1118

Matrimonium ratum et consummatum nulla humana potestate nullaque causa, praeterquam morte, dissolvi potest.

Canon 1120

§ 1. – Matrimonium, initum a duobus non baptizatis, solvitur ex privilegio paulino in favorem fidei partis, quae baptismum recepit, celebratio ne eiusdem partis novi matrimonii, dummodo altera pars non baptizata discedat, ad normam cann. 1120, § 2 – 1124 et 1126-1127.

§ 2. – Discedere censetur altera pars si nolit pacifice cohabitare cum parte baptizata sine contumelia Creatoris, nisi haec post baptismum receptum iustum illi dederit discedendi causam.

Canon 1121

§ 1. – Salvo praescripto § 2, ut pars baptizata novum matrimonium contrahere valeat, pars non baptizata semper interpellari debet:

Iº an velit et ipsa baptismum recipere;

2º an saltem velit cum parte baptizata pacifice cohabitare, sine contumelia Creatoris.

§ 2. – Haec interpellatio post baptismum fieri debet; at Ordinarius loci, gravi de causa, permittere potest ut interpellatio ante baptismum fiat; idem, gravi pariter de causa, ab interpellatione dispensare potest, sive ante sive post baptismum, dummodo ex processu saltem summario et extra judiciali constet eam fieri non posse aut fore inutilem.

Canon 1122

§ 1. – Interpellatio fiat regolariter de auctoritate Ordinarii partis conversae, a quo Ordinario concedendae sunt alteri coniugi, siquidem eas petierit, inducias ad respondendum, eo tamen monito fore ut, induciis inutiliter praeterlapsis eius silentium pro responsione negativa habeatur.

§ 2. – Interpellatio etiam privatim facta ab ipsa parte conversa valet, imo est licita, si forma superius praescripta servari nequeat.

§ 3. – In utroque casu de interpellatione facta deque eiusdem exitu in foro externo legitime constare debet.

Canon 1123

Pars baptizata ius habet novas nuptias contrahendi:

- 1° si altera pars negative interpellationi responderit;
- 2° si interpellatio legitime omissa fuerit;
- 3° si pars non baptizata, sive iam interpellata sive non, prius perseverans in pacifica cohabitatione sine contumelia Creatoris, postea (sine iusta causa^[*]) discesserit, servatis cann. 1121-1122.

Canon 1124

Etiam in casu usus privilegii paulini, Ordinarius loci, gravi tamen de causa, dispensare potest ab impedimentis mixtae religionis et disparitatis cultus, servatis praescriptis cann. 1061-1064 et 1071.

Canon 1125

§ 1. – Infidelis, qui plures uxores simul habuerit, ad fidem catholicam se convertens, si durum sit ei cum earum prima permanere, potest quamlibet ex illis, ceteris dimissis, retinere. Recepto autem baptismi, renovandus est consensus matrimonialis, obtenta etiam, si opus sit, dispensatione ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus, servatis aliis de iure servandis. Si istae conditiones non verificantur, recurrendum est ad Sedem Apostolicam in singulis casibus.

§ 2. – Ordinarius, p[re] oculis habita conditione morali, sociali, oeconomica locorum et personarum, curet ut primae uxoris aliarumque dimisarum necessitatibus satis provisum sit, iuxta normas iustitiae, christiana[rum] caritatis et naturalis aequitatis.

Canon 1127

In re dubia privilegium fidei gaudet favore iuris.

* Circa verba «sine iusta causa» exitus suffragationis hic fuit: placet 6, non placet 6, abstinet a sententia ferenda 1.

